



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**

Contra linguas obtrectatorum. XXVIII

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

*Oratio pro purgatione cordis & celesti sapientia.*

*Pſalm. 50.  
Ephes. 3.  
Matth. 6.*

4. Confirma me Deus, per gratiam sancti Spiritus. Da virtutem corroborari in interiori homine, & cor meum ab omni inutili sollicitudine & angore euacuare; nec varijs desiderijs trahi cuiuscunque rei vilis aut preciosa; sed omnia inspicere sicut transeuntia, & me pariter cum illis transiturum; quia nihil permanens sub sole, vbi omnia vanitas, & afflictio spiritus. O quam sapiens, qui ita considerat.

*Ecc. 1. & 2.*

*Sap. 9.*

5. Da mihi (Domine) celestē sapientiā, vt discam te super omnia querere, & inuenire; super omnia sapere, & diligere; & cetera, secundum ordinē sapiētiæ tuę, prout sunt intelligere. Da prudenter declinare blandientem, & patienter ferre aduersantem; quia hæc magna sapientia, non moueri omni vento verborum; nec aurem malè blandienti præbere Sireni: sic enim incepta pergitur via securè.

*Ephes. 4.*

## CAPVT XXVIII.

*Contra linguas obrectatorum.*

*1. Cor. 4.*

**I.** Illi, non ægrè feras, si quidam de te malè senserint, & dixerint quod non libenter audias. Tu deteriora de teipso sētere debes, & neminem infirmiozem te credere. Si ambulas ab intra, non multum ponderabis volantia verba. Est non parua prudentia, filere in tempore malo, & introrsus ad me conuerti; nec humano iudicio disturbari.

*Ioan. 16.*

2. Non sit pax tuā in ore hominum. Siue enim bene siue malè interpretati fuerint, non es ideo alter homo. Vbi est vera pax, & vera gloria? Nonne in me? Et qui non appetit hominibus placere, nec timet displicere, multa perfruetur pace. Ex inordinato amore & vano timore oritur omnis inquietudo cordis & distractio sensuum.

## CAPVT XXIX.

*Qualiter instante tribulatione, Deus inuocandus est, & benedicendus.*

*Iob 1.  
Pſalm. 112.*

**I.** Sit nomen tuum (Domine) benedictum in secula, qui voluisti hanc tentationem & tribulationem venire super me. Non possum eam effugere, sed necesse habeo ad te confugere; vt me adiuues, & in bonum mihi conuertas. Domine, modò sum in tribulatione, & non est cordi meo bene, sed multum vexor à presenti passione. Et nunc pater dilecte, quid dicam? Deprehensus sum inter angustias. Saluifica me ex hora hac. Sed propterea veni in hanc horam, vt tu clarificeris, cum fuero valde humiliatus, &

*Matth. 26.*